



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris  
Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Art. Vnicus, quis dicatur Clericus

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**

## TITVLVS XIII.

*De clericatus Natura.*

## Articulus Vnicus.

*Quis dicatur Clericus.*

1. **C**Lericus proprie dicitur, qui signaculo tonsuræ, ab Ecclesia instituto insignitus, in sortem Dei est designatus, ad officia, Ministeria, gradus & ordines assumendos. Tonsura vero est levis detonsio capitis ab Episcopo cæremonijs Ecclesiasticis facta, qua masculus Tyrocinio Ministeriorum Dei initiatur. Significat autem tonsura Clericalis, puritatem vitæ & abjectionem rerum sæcularium. Familij vero Dei & devoti animi ac mortificationis Christi Jesu symbolum est: Ritus Tonsuræ ut modo confertur consistit in quinque partita capillorum, detensione, nimirum: in vertice, in occipite, in concipite & super aurem utramque, per modum utique crucis cujus mortificationem assumit.

2. Ex parte suscipientis primam tonsuram:

ram: Quinque potissimum conditiones requiruntur. 1. Ut Sacramentum confirmationis receperit. 2. Ut fidei rudimenta norit. 3. Ut legere & scribere sciat. 4. Ut non suscipiat iudicis sæcularis fugiendi causa. 5. Ut genus hoc vitæ eligat & Deo fidelem cultum præstet: nam qui de obligatione sua sufficienter instructus, absque vero animo Clericatus tonsuram suscipit, juxta qualitatem obligationis peccat mortaliter, & à Clericatus privilegiis & ulterioribus promotionibus, manente animo averso, tenetur abstinere.

3. Privilegia Clericorum sunt potissimum quatuor. 1. Immunitas ab omni externa violentia, ut habetur, cap. si quis sua-dente Diabolo, vocaturque privilegium Canonis, 2. Privilegium fori, ratione cujus à iudice sæculari eximuntur & coram illo conveniri non possint. 3. Exemptio à Gabellis principum sæcularium. 4. Capacitas ad beneficia Ecclesiastica, & his privilegijs omnes Clerici à prima tonsura suscepta gaudent, si observent conditiones à Canonibus & specialiter à Concil. Trid. requi-

requisitas. Nimirum : ut aut beneficium Ecclesiasticum habeant, aut clericalem habitum & tonsuram deferentes, Altari Ecclesiæ ex mandato Episcopi deserviant, vel in seminario Clericorum aut aliqua schola vel universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad suscipiendos majores ordines versentur.

4. Clericus vero primæ tonsuræ ad nihil tenetur simpliciter, quia Clericatus potest renuntiare, unde omnia præcepta quæ in sacris Canonibus leguntur data Clericis intelligi debent, de ijs qui Clericalem statum in privilegijs profiteri volunt.

## TITVLVS XIV.

### *De Obligatione hominis Christiani.*

#### Articulus Primus,

*Ad quid obligetur homo ex natura sua.*

I. **H**OMO ex natura sua obligatur ad Deum tanquam ad ultimum suum finem naturalem ( quamvis supernaturalem virtute) acquirendum. Ratio est: quia Deus creavit